

quem nihil fallat: nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi. Sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur. Et oculus adulteri servabit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus, et latibulum personae opposuit suae. Omnis enim, qui lucem fugit, diligit tenebras, studens latere: cum Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, et intra hominum mentes, non solum tractata, sed etiam volventa cognoscit. Denique et ille, qui dicit in Ecclesiastico: Quis videt me? Et tenebrae cooperiunt me, et parietes, quem vereor? quamvis in lecto positus haec cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidum quam putare, quod Deum quidquam praetereat: cum sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, et in fundamenta domus vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpat? Quis neget verna temperie tepescere interiora terrarum, quas glacies hiberna constrinxerit? Norant ergo arborum occultam vim caloris vel frigoris, adeo ut radices arborum aut urantur frigore, aut fotu solis virescant. Denique ubi clementia coeli arriserit, varios terra se fundit in fructus. Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, et in ea, quae clausa sunt, se inserit, nec vectibus ferreis aut gravium valuarum obicibus, quominus penetret, impeditur: quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum et corda semet (quae ipse creavit) inserere? sed, ea quae ipse fecit, non videt, et fecit, ut meliora sint, quae facta sunt, et potentiora, quam ipse est, qui ea fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere. Tantam ergo virtutem et potestatem inseruit mentibus nostris, ut eam comprehendere cum velit ipse non possit.